

PARS IV

De processu poenali (1717-1731)

DE PRAEVIA INVESTIGATIONE

Inter iudicia, quibus praeter vel contra regulas processuales normae peculiare dantur, sunt praesertim iudicia criminalia, quorum finis est delicta fidelium declarare et poenis sancire tum ut reus emendetur tum ut ordo publicus laesus restituatur.

Habita de delicto notitia, Ordinarius caute inquireat per se vel aliam personam, et decernat num processus promoveri possit vel procedendum sit per decretum extra iudicium.

Acta investigationis et Ordinarii decreta, quae investigationem praecedunt, in secreto Curiae archivo custodiantur.

DE PROCESSUS EVOLUTIONE

Ut Ordinarius censuerit procedendum esse per decretum extra iudicium, significare debet reo accusationem ac probationes, accurate perpendere omnia argumenta cum duobus assessoribus, decretum ferre expositis rationibus in iure et in facto. Contra decretum recursus admittitur apud Sectionem alteram Signaturae Apostolicae.

Recursus effectum suspensivum habet.

Ut autem Ordinarius decreverit processum iudiciale esse ineun-

dum, acta investigationis tradat promotori iustitiae, cui actio seu accusatio criminalis reservatur.

Ad scandala praevenienda, potest praeterea Ordinarius in quolibet processus stadio accusatum arcere ab officio aut interdicerere munere, audito promotore iustitiae et citato ipso accusato.

Nisi sponte advocatum elegerit, accusatus monendus erit ut advocatum ab iudice designatum accipiat.

In quolibet iudicii gradu a promotore iustitiae renuntiatio instantiae fieri potest, mandante vel consentiente Ordinario, qui processum movit, et – accusato acceptante – nisi ipse absens declaratus sit.

Si evidenter constet delictum non esse patratum ab accusato, qui semper jus habet postremus scribere et loqui, iudex id debet sententia declarare et eum absolvere, etiamsi simul constet actionem criminalem extinctam esse.

Tam accusatus quam promotor iustitiae appellationem proponere possunt.

In iudicio poenali applicandae sunt, nisi rei natura obstet et salvis praescriptis canonum huius tituli, regulae de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario.

Accusatus ad confidendum delictum non tenetur, nec ipsi iuriurandum deferri potest.

DE ACTIONE AD DAMNA REPARANDA

Actionum numerus est infinitus. Nonnullae magis necessariae et frequentiores in Codice recensentur.

Pars laesa exercere potest in iudicio poenali actionem contentiosam ad damna reparanda ex delicto illata et in ipso processu intervenire ante conclusionem in causa.

Interventus non amplius admittitur, si factus non sit in primo gradu. Item quoad appellationem in causa de damnis.

Iudicium de damnis differri potest ad nimias iudicii moras vitandas.

Sententia, quae in rem iudicatam transiit, nullo modo jus facit erga partem laesam, nisi huius interventus factus sit in primo gradu.